



1101

MAGNUS
OPUS

1104
1133



INDEX DISPUTATIONUM

- XII Disput. vide p. 4
 sub Praesidio S. Frid. Bal
 duini.
- 13 De verbis testamenti Iesu
 Christi filii Dei, hoc est
 corpus meum, hoc est sanguis
 meus Pr. Balduini.
- 14 De Prae destinatione
 Pr. D. Joh. Gerhardi
- 15 Oratio de Friderico Myco-
 nio Theologo constantis. et
 primo Thuringorum Evangelista
 ab. D. Ant. Lubo
- 16 De Dei et Christi Oratio
 our Mediatoris nostri, apud
 creaturas gubernandas
 universali et speciali pre-
 sentia. D. Bal. Mentzneri
 D. Iust. Feurbornii
- 17 Abstergio Calumniarum
 Joh. Coccii. Pr. Balb.
 Mentzneri.
- 18 De Baptismo conclusionibus
 comprehensus. Pr. D.
 Petri Bisectoris
- 19 De persona Iesu Christi ser-
 vatoris nostri Pr. D. Ambro.
 Reudenio
- 20 De Baptismo initiationis
 Sacramenti Pr. D. Georgii
 Mylii.
- 21 De visitatione eccle-
 siastica Pr. D. Georgii
 Mylii.
- 22 Caroletadius redivivus
 contra Calvinianos Pr. D.
 Georgii Mylii.
- 23 De verbo Dei scripto,
 et traditionibus non
 scriptis. in Disputationes
 X distributa. sub Praes.
 D. Leonhardi Huterei.
- Indice decem Disputationum
 vide p. 2. in disp. 1.
- 34 Threnologia de obitu
 Principis Friderici Wilhelmi
 futre D. Georgio Mylio.
- 35 Panegyris Actus Doctorei
 jurisconsultum i. e. Joh.
 Stigeli epistola de inaugu-
 ratione Acad. Salanae.
- 36 Modus inveniendae Concordiae
 in contrav. De electione ad
 vitam a Sam. Hubero D.
 2 in morte Principis Saxoniae
- 37 Ad Tragediam Virgilianam
 de Aenea et Lavinia
- 38 166 Selectiones Epistolae D.
 ps. Melanesthoris ad S. Frid.
 Myconium conscriptae et
- 39 De viro sancto Martino
 Lutbero.
- 40 Votum nuptiale

DISPUTATIO THEOLOGICA VII. 31

De

SACRÆ SCRIPTURÆ
VERSIONIBVS VVLGATIS,

Quam Spiritu Sancto favente

SVB PRÆSIDIO

Reverendi, & clarissimi viri
Dn. LEONHARTI HUTTERI,
S. Theol. D. & Professoris in celebri Academiâ
V Vitebergensi Publici discutiendam
proponit

M. IOHANNES GEORGIVS GLOCKER,
Heilbrunnensis.

Ad diem 12. Aprilis horâ 6. matutinâ.



VVITEBERGÆ

Typis Cratonianis per Iohann. Gorman.

Anno M. DC. VI.



Magnificis, Nobilissimis Am-
plissimisque viris, prudentiâ, virtute, do-
ctrinâ & autoritate præstantissimis,

Dn. Davidi Cuglero }
Dn. Jacobo Feierabendo. I. V. D. } COSS.
Dn. Georgio Bechtio }
Dn. Simoni Weinmanno Prætori,
Dominis Quadrumviris,

Cæterisque Dn. Inclytæ & Imperialis Heilbronnensis
Reipublicæ Senatoribus & Syndicis, patribus
patriæ, Dominis & Mæcenatibus suis
æternum colendis

Theses hæc Theologicas

debitæ gratitudinis & observantiæ Sym-
bolum dedicat & offert

M. Iohannes Georgius Glocker.



Disputatio VII.

De

VERSIONIBVS SCRIPTURÆ VVL- GATIS.

THESIS I.



Quam sit Scripturifuga Pontificiorum turba Saerosancta Scriptura iudes in oculis, id vel imprimis exinde etiam manifestè satis liquet, quod partim Apostolicae scripturae auctoritatem omni studio enervare conantur, pratendentes non a deo nos eam opus habere, siquidem Christus non scribendi sed docendi praeceptum, non tabulas sed Spiritum Sanctum suis Apostolis (& ita etiam Pontificijs) tradiderit, & adhuc hodie verbum Dei tanto dignius à Deo tradatur, quanto remotius sit ab omni Scriptura (ex scrinio scilicet pectoris Romani Pontificis) propositum: partim vero hoc potissimum agunt, ut maxima pars hominum sanctissimi huius depositi usu privetur, & laicis lectione eius summe necessariâ interdicator.

II.

Vnde non tantum regni Pontificij subditis & plebeis omnem aditum ad sacrarum literarum lectionem praecludunt, sed etiam pro hac opinione, de arcendis laicis à lectione bibliorum,

A 2

et antiquam

*Sotus in de-
fensione Ca-
thol. de uno
certo iudice
cap. 37.*

tanquam pro aris & focus in scriptis suis quàm possunt acerrimè pugnans.

III.

Quà in parte quàm proximè sanè accedunt ad invidiam illorum Philistinorum naturam, de quibus Genes. 24 scribitur, quod fontes ad Abrahamo effossos Isaac servus pulvere injecto obstruxerint: Ita hi quoque limpidissimos Israëlites fontes, à Spiritu Sancto per veteris & Novi Testamenti Patriarchas inventos & propagatos, partim cæno & pulvere pravarum glossarum & perversarum opinionum corrumpere & obstruere, partim ab eorundem desideratissimis usibus & lectiõibus Isaacidum genus fidelem scilicet Christianorum cætum prohibere summis conatibus laborant & contendunt.

IV.

Intelligit nimirum gens traditionaria, quàm non sit è re sua, si plebi fidelium libera Sacra Scriptura lectio concedatur, quodque, si cuivis integrum esset sacras legere literas, Pontificium regnũ diu stare non possit, eò quod diversum pietatis ductum & aliam ad salutem viam offenderent, talem nimirum, quæ toto genere, imò toto cælo ab ipsorum commentis & humanis traditionibus discreparet.

V.

Verùm ita re ipsa & factis Phariseos illos aut eorum socios se comprobant & demonstrant, de quibus Salvator ait, Matth. 23, 13. quod cælum coram hominibus claudant, & cum ipsi ingredi recusent, alios etiam introire cupientes ab aditu & limine prohibeant. Quid enim hîc aliud faciunt Pontificij, quàm quod verbum Dei, quod cœu clavis est ingressum ad regnum cœlorum hominibus aperiens, supprimunt, arma, quibus contra hostem infernalem singulis pugnandum est, è manibus hominum excutiunt, & maxime parti mortalium in tenebricosa valle huius vitæ ambulantium lucernam & lumen itineris adimunt?

Id

VI.

Id quod quidem multis alijs, potissimum autem duobus etiam hisce modis effectum dant: primò pro puris fontibus originalium linguarum unicam & solam latinam versionem (quam causa sua magis conducere putant) obtrudendo: deinde verò reliquas versiones & in vernaculas quorumcunque populorum linguas translationes prohibendo.

VII.

Cum itaq; prius membrum de latina versione in proxima disputatione expeditum sit, sequitur nunc ut ad alterũ transeamus, quod est de vulgaris versionibus: An sc. ex usu sit Ecclesiæ, ut scriptura sacra in linguam cuiuslibet populo vernaculam transferatur, ut ab omnibus legi possit. Affirmativam nos recipimus, Pontificij negativam propugnant acriter.

VIII.

Bellarminus quidem libro secundo de verbo DEI c. 15, cum paulò antè hereticos proclamasset eos, qui passim Scripturas in linguam Germanicam, Gallicam, Anglicam vertunt & iisdem linguis publicè Scripturas legunt & canunt; tamen mox sui oblitus conqueritur, injuriam fieri Ecclesiæ Romanæ, cum accusatur, quod vulgares Bibliorum translationes prohibeat.

IX.

Verùm ut jam non dicam, multa Pontificiorum argumenta contra nostram sententiam concludere, simpliciter ab omni versione in linguas vulgares abstinendum esse, videamus quomodo Romanam Ecclesiam Bellarminus excuset, & qua ratione hanc ab ea impietatem removeat.

X.

Ea verò hæc est. Quod Pius Quartus in indice librorum prohibitorum reg. 4. lectionem librorum Biblicorum concedat omnibus, qui facultatem ab ordinario obtinuerint. En manifestam restrictionem, quâ quod liberaliter videba-

tur primò concessisse, mox ad eos tantùm accomodat, qui utiliter & cum fructu eà uti possint, & facultatem ab Ordinario, ab Episcopis & inquisitoribus impetraverint, id est uno verbo: Qui in pontificis Romani verba iurarunt, & de quibus ex confesso constat, quòd Papista sint pertinacissimi.

XI.

Neq; enim hanc facultatem obtinebunt, nisi qui se prius Romano Pontifici per omnia subiecerint, & inter reliqua dogmata hoc quoq; mediante religioso iuramento se approbare testati fuerint, non esse ex solis sacris literis de fide ac religione Christianà statuendum.

XII.

Non ergo iniuria aliqua sit Pontificijs, & adhuc inter nos & illos manet hic status Controversia: an saltem paucis illis Papa Romani mancipijs, an verò omnibus ex aequo Christianis permitenda sit libera scripturarum lectio. De qua controversia Bellarminus ipse in hoc capite 15. suam cum reliquis coniungit sententiam, iuxta normam non Scriptura sed Concilij Tridentini prohibens, ne passim omnibus concedatur Bibliorum lectio, & ne in publico & in communi usu Ecclesia, Scriptura legantur vel cantentur vulgaribus linguis.

XIII.

Estq; hac communis Pontificiorum opinio: non expedire ut libri Biblici in linguam cuilibet populo vernaculam transferantur: qui enim salvam velint esse religionem, eos omninò debere laicis interdicare in universum lectione sacrarum literarum: his enim non modò non utilem eam esse, sed multis modis perniciosam.

XIV.

Dictatoria huic assertioni orthodoxam nostram sententiam opponimus tali propositione: Scriptura Sacra in linguas cuilibet populo vernaculas transferri debet, ut non tantùm in publicis conventibus & sacris officijs usui esse, sed etiam privatim ab omnibus Christianis tam indoctis quàm doctis, tam laicis quàm Clericis legi possit. [Pro-

XV.

Propositionis huius veritatem primùm ipsa rei inevitabilis necessitas evidenter evincit: Si enim singulis ac universis Christianis lectio & cognitio Sacra Scriptura imprimis necessaria est, utiq; prius ipsa in linguam cuiuslibet populo vernaculam transferatur necesse est, nisi quis velit statuere, sacras literas hebraicè, gracè, aut latinè conscriptas legi debere ab his, qui istarum linguarum nullam callent, quod esset ineptum.

XVI.

Esse autem lectionem Sacrarum literarum summè necessariam omnibus, probamus I. perspicuis cum Veteris tum Novi Testamenti dictis & testimoniis. Deut. 21, 11. Moses toti populo tam mulieribus quàm viris, parvulis & advenis Scripturam legendam diligentissimè commendavit. Deut. 17. constituit, ut Rex exemplar legis secum haberet & evolveret cunctis diebus vite suæ, ne declinaret in partem vel dextram vel sinistram. Deut. 6. & 11. praecepit; ut vulgus etiam in postibus, in januis, in limine, in ostijs verba illa scriberet. Sic David Psal. 1, 1. & 119, 1. Sic Propheta, Esaias 8, 20. ad legem & ad testimonium singulos ablegant.

XVII.

Similiter in Novo Testamento Christus promiscuam Iudaorum turbam jubet scrutari Scripturas Ioh. 5, 39. Abraham remittit fratres divitis epulonis ad Moysen & Prophetas, Luc. 16, 29. ut eos audiant: audire autem tum non poterant, nisi in scriptis & linguis vulgaribus. Et Apostolus Iohannes I. ep. c. 2. v. 12. affirmat, se scribere patribus, filiis, adolescentibus, senioribus & junioribus, ut nimirum legant & discant doctrinam pietatis.

XVIII.

II. Singuli in universam opus habent sedulâ & frequenti lectione bibliorum propter communem nostrum hostem Diabolum. Cum enim nullus omnium hominum, cuiuscung; sexus aut ordinis sit, inveniat, cui hic non insidias struat & bellum indicat;

indicat; 1. Pet. 5, 8. Ephes. 6, 12. & verò solum D E I verbum
sit gladius ille spiritualis, quo hostis hic oppugnatur 2. Cor. 10,
4. & ejus ignita tela excipiuntur, Ephes. 6, 17. arma verò hac
aliunde non quàm ex sacra Scriptura & sacris Biblijs desumi
possint: qua, malum, haec istorum hominum insania est, qui mi-
lites inermes tanto hosti non ut resistent, sed ut necentur, obij-
ciunt! quanto tutiores illi sunt, qui sacras literas saepe mul-
tumq; legendo in animi sui possessionem velut immittunt, e-
asq; quovis familiari domestico sibi propiores faciunt: siquidem
animam hac potentiâ robotis D E I Ephes. 6, 10. 2. Corinth. 10, 4.
munitam Demon vix attingere, nedum debellare poterit.

XIX.

III. Est haec lectio necessaria laicis ob certitudinem fidei,
qua solo D E I verbo nititur; & ob falsorum doctorum fallacias,
quibus miseros homines circumveniunt. Debent enim etiam
Laici à Pseudoprophetis sibi cavere, Matth. 7, 15. & spiritus pro-
bare. 1. Ioh. 4, 1. & 1. Thes. 5, 21. exemplo Berrhoënsium, Act.
17, 11. at verò versione sibi cognitâ destituti quomodo pote-
runt?

XX.

Neq; enim hic moramur opinionem Pontificiorum praten-
dentium rectius ex sola institutione Doctorum quàm ex lectio-
ne Bibliorum propter judicij imbecillitatem laicos sibi cavere.
Nam 1. redarguunt sapientiâ Dei, in modò allatis dictis aliud
praeipientem. 2. qui vis laicus eas docendi partes, quas Docto-
res publicè habent, intra privatos parietes & domi suae jure
divino sustinere & potest & etiam debet. 3. ipsi etiam docen-
tes interdum imò saepe hallucinari possunt; quid igitur facien-
dum laicis, si Doctor haeresi aliquâ sit infectus, anne & tum ab
ore docentis simpliciter pendeat necessum fuerit? nonne potius
tunc locum habebit illud Salvatoris Matth. 23, 10. Unus est ma-
gister vester, CHRISTVS? & qua fuit quæso alia causa, quod
publica doctrina puritas non illibata olim servata fuit in Papa-
tu, quàm quod à limpidissimis Scriptura fontibus ad cisternas
humana-

humanarum ad inventionū miscellus Christianorum catus fuit
ablegatus? XXI.

IV. Deniq; necessaria est lectio Sacra scriptura propter ipsos
discipulos. Facit enim ut conciones sacrae plus lucis habeant in men-
tibus hominum propter assuetudinem verborum & sententia-
rum Scripturae. Oportet enim ut cum ex publica tum privata do-
mesticaq; lectione verborum, sacra Scriptura notitiam affecuti
sint, qui expositiones intelligere & firmiter etiam retinere cu-
piunt. XXII.

Secundò assertionis nostrae certitudinem deducimus ab au-
thoritate, mandato & institutione DEI cum in Veteri tum
in Novo Testamento. Certè DEVS ipse in Veteri Testamento,
Christus Salvator, & Apostoli immediatè à Spiritu sancto gu-
bernati in Novo Testamento sacram Scripturam in linguam cognita
ac cuiq; populo familiari proposuerunt, tradiderunt & propaga-
re iusserunt. XXIII.

In Veteri Testamento DEVS doctrinam caelestem primò in
lingua omnibus ejus temporis hominibus usitata & populari
patefecit, & postea in eadem lingua eam literis conscribi cura-
vit, ut ab omnibus legi & intelligi posset. Deinde in Novo Te-
stamento Christus non tantum lingua Syriaca, quae Iudeis tum
temporis materna erat, populum docuit, & in cruce eadem usus
fuit: sed etiam Apostolos in universum terrarum orbem emis-
sos iussit singulis populis annunciare Evangelium lingua cog-
nita ac cuiq; populo familiari. Matth. 28, 19. quem in finem etiam
in prima Pentecoste Novi Testamenti dono variarum lingua-
rum à Spiritu S. instructi fuerunt, ut omnibus gentibus linguam
notam verbum annunciare possent, & per varietatem cuncta-
rum linguarum gentes in unitatem fidei congregarent.

XXIV.

Neq; alia ac diversa concedi debet ratio scripturae, quam
quae fuit ipsius praedicationis. Quemadmodum enim Spiritus
S. voluit ut in varijs linguis Evangelium omnibus annuntia-
retur, ita voluit ut etiam omnium literis consignaretur, &

B

confe-

consequenter ab omnibus legeretur, id quod partim ex fine, ob quem scripserunt, ut & multis epistolarum Paulinarum inscriptionibus atq; exordiis manifestum est: partim verò exinde patet liquidissimè, quod licet non in omnibus linguis scripserint, (in quo effugium aliquod Pontificij frustra quarunt, sufficit enim quod in omnibus prædicarunt) tamen tali linguâ scripserunt, quâ eo tempore erat communissima & usitatissima, ex qua opportunè potuit sermo eorum per totum terrarum orbem disseminari, & per varias interpretum linguas longè lateq; diffundi, ut hac ratione verbum, quo omnibus DEVS locutus est, omnes audirent & perciperent.

XXV.

Iam verò Pontificij non tantum omnibus passim laicis privatam lectionem Bibliorum prohibent, sed contendunt etiam Scripturas sacras non debere publicè legi in Vulgari lingua; ita ut apud ipsos nephas sit & piaculum, lectionem Evangelij, administrationem Sacramentorum, gratiarum actiones & preces, & quæ reliqua sunt officia sacra, in vulgari & omnibus nota, non verò potius in superstitiosa illa sua lingua latina fieri & celebrari: videant ergò Pontificij, quomodo falsa hæc ipsorum opinio cum Christi & Apostolorum instituto thesi 23. exposito conveniat?

XXVI.

Addimus ex abundanti manifestissimum illum locum I. Cor. 14 ubi Apostolus quasi ex professo crassum hunc errorem sibi refutandum sumpsit, hoc potissimum innitens argumento; finem præcipuum divinorum officiorum & lectionum publicarum esse instructionem & consolationem populi: at quæ obsecro instructio, quæ edificatio ex ignota & peregrina lingua peti quæ at? Ego, inquit Apostolus, in Ecclesia malo quinque verba, mente mea sive cum intelligentia loqui ut alios instruam, quàm decem millia verborum peregrino & ignoto idioma-
te.

Hic

XXVII.

Hic Apostolo in faciem resistant Iesuita scribentes, sacra officia non pro fine habere instructionem, sed cultum DEI: Egregium verò cultum, quem qui praestat non intelligit, nec ipse scit quid faciat. Et quae est ista religio aut sanctitas, Evangelium aut textum Biblicum legi & audiri, & non intelligi: num DEVS opus habet lectione illà an verò homines? an non vet hac ratione Iesuita efficiunt, ut de suis conventibus verum fiat illud Salvatoris, Matth. 15, 8. Appropinquavit populus iste ore suo & labijs suis honoravit me, cor autem eius elongavit se à me.

XXIIX.

Tertiam nostrae thesios probationem sumimus à perpetuo usu, & consuetudine vera Dei Ecclesiae: In Veteri Testamento cessante linguarum cognatione, cepta sunt fieri translationes Bibliorum in linguas vulgares. Primò in Chaldaicam, quae tunc in multis terris ac populis patebat latissimè: Postea Graecorum emergente monarchià à 72. interpretibus in linguam Graecam tum etiam communissimam: tandem in novo Testamento, ubi unà cum imperio Romano etiam latina lingua in usum venit, tot versiones in latinam linguam factas esse testatur Augustinus, ut numerari non potuissent.

XXIX.

Sic D. Hieronymus sacra Biblia non tantum in latinam, sed in Dalmaticam quoque linguam transtulit, ut ipsemet testatur in ep. ad Sophronium. Chrysostomum ipse quoque, Sixtus Senensis ait in linguam Armenam Biblia vertisse, idemque commemorat anno Christi 370. Ulphilum Gothorum Episcopum primum omnium Gothorum literas invenisse, primumque omnes divinas Scripturas à Græco in Gothicam vertisse linguam. Nec est dubium, si omnium populorum historia Ecclesiastica integra ad nos pervenissent, quin multa alia translationum & versionum exempla luculenter ex ijs comprobati possent.

B 2

Frivo-

Li. 2. de doctrina Christ.
cap. 11.



XXX.

Frivolum igitur est illud, quod Pontificij jactitant de perpetua consuetudine universalis Ecclesiae, quae semper his tantum tribus linguis, hebraea, graeca & latina in legendis & explicandis Scripturis usa sit. Et quod primis quadringentis annis à nato Christo Scripturae sacrae non nisi in tribus istis linguis lectae sint, nec in alias transfuse. Nam quod praeteris linguis trium harum usus in Ecclesia obtinuit, hoc planè accidentis est, & ab Ecclesia & temporum illorum conditione unice dependet, ex accidentibus autem universales regulas extruere absurdum est.

XXXI.

Deinde de Ecclesiis populi DEI in Veteri Testamento & Apostolorum in Novo, & de consuetudine patrum contrarium modo ostensum fuit. Et quemadmodum in Ecclesia Graeca Chrysostomus, Nazianzenus, &c. Graece, in latina Augustinus, Ambrosius, &c. latine docebant, Scripturam legebant, sacra faciebant, auditoribus Biblia ut legerent non solum permiserunt, sed etiam praeceperunt: ita etiam hodie in Ecclesia Germanica germanicè & sic in alijs lingua sibi nota sacra facere, legere, tractare licebit; eadem enim ubiq; planè militat ratio.

XXXII.

Quartum & postremum argumentum nobis in manus porrigunt ipsi Pontificij, dum aliquas Scripturarum versiones concedunt & approbant. Si enim ex ipsorum Iesuitarum sententia reprehensionem minimè meretur Ecclesia, quod Scripturam sacram Veteris Testamenti in linguam Graecam & latinam transferri curavit, quid obstat, quo minus & hodie universa Scriptura in linguas alijs populis vernaculas vertatur & transferatur?

XXXIII.

Nulla enim probabili saltem ratione demonstrare possunt, scripturam tantum in duas illas Graecam nimirum & Latinam, non verò itidem in alias linguas verti debuisse: & quas causas pro duabus illis linguis proferre solent, ea pro reliquarum linguarum omnium usu itidem necessariò militat, praesertim
quia

quia in Novo Testamento (quod non est tempus ignorantia sed cognitionis) omnes linguae divinam auctoritate inauguratae & consecratae sunt, ut serviant propagationi Evangelij.

XXXIV.

Sed opinantur illi, contentos nos esse debere tribus illis linguis, quas 1. Dominus titulo crucis suae honoravit. Ioh. 19. 2. quae omnium consensu, auctoritate, amplitudine & gravitate omnibus alijs praestant: ac 3. quibus ipsi libri divini ab authoribus suis initio conscripti fuerunt, id est, Hebraea, Graeca & Latina.

XXXV.

Sic Pontificij apodicticis sacra Scriptura testimonijs destituti quasdam afferunt conjecturas levissimas, in quibus ne minima quidem species veri inest. Nam quod ad primam attinet, quae haec est concludendi ratio? Quibus linguis Christus in cruce usus fuit, ea tantum & nulla alia in lectione & versione Scripturarum usurpanda sunt? quis hic non desideraret luculentam probationem? cum ne jota quidem hac dere in sacris Literis extet & contrarium ex Act. 2. & alijs Scripturae locis manifestum sit.

XXXVI.

In secunda fontibus Hebraea sc. & Graeca lingua contra Pontificios primas ambabus manibus damus, ex quibus & omnium aliarum linguarum translationes merito censendas & Latinae versionis errores bene multos necessario corrigendos esse statuimus. At nihil obstant illae linguae originales, quo minus fontes earum in alios rivulos ad agrum Domini irrigandum, deriventur, cum ne Spiritus S. ipse earum usu contentus fuerit, & in Novo Testamento omnes linguas dedicare voluerit loquendis magnalibus DEI. Phil. 2, 10. Rom. 14, 11. Esa. 45, 23. Tertia ratio magna probatione indiget, quod illis tantum linguis in lectione Scripturarum utendum sit, quibus Apostoli Evangelium conscripserunt: Sic enim nec in latinam etiam verti debuisse.

XXXVII.

Ab hoc presidio dejecti Iesuita versiones reliquas vitiosas esse clamitant, id quod dicimus esse nugatorium. Nam 1. in di-

judicandis versionibus non standum est sententiâ Iesuitarum, sed iudicium petendum est ex collatione cum ipsis fontibus. 2. Constat alias versiones & cum primis germanicam B. Lutheri incomparabiliter propius ad fontes accedere quam latina Pontificiorum unquam accedere queat. 3. Latinam vulgatam ad prodigium usq; mendosam esse & imperfectam vel inde patet, quod ante paucos annos ipsi Iesuitæ jussu Pontificis Romani ejus emendationem instituerunt, quâ de re in precedenti disputatione actum est.

XXXII X.

Sed metuunt Iesuitæ, ut fortè populus ex solâ lectione non solum non fructum percipiat, sed detrimentum etiam capiat, quia facilimè ex Scriptura nondum satis intellecta arripi possit occasio errandi tum in doctrina fidei tum in preceptis morum.

XXXIX.

Verùm rem seriam si agunt adversarij, cur obsecro non ipsam verbi predicationem, administrationem Sacramentorum & totum cultum DEI è medio tollunt, quia his etiam omnibus magna pars ad perniciem suam abutitur? Sin verò propter abusum rei, qui accidentis est, res ipsa & bonus ejus rei usus tolli non debet, cur non similiter & sacra litera? præsertim cum non ex lectione (ut blasphemè Pontificij scribunt) sed ex ignorantia & depravatione Scripturarum hæreses orientur, ut suo Romana Ecclesia exemplo evidenter demonstrat.

XL.

Deinde falsum est verbum DEI non intelligi posse, nisi ab ijs, qui sensum & intelligentiam ejus à Papa & ejus Cardinalibus mutuuntur. Scriptura certè super omnes docentes sapientiores facit eos, qui eam meditantur. Ps. 119, 99. Est lucerna & lumen semitis nostris. Ps. 105. Sapientiam præstat parvulis. Ps. 119, 9-3. minus periculi metuendum à populo, qui Biblia in simplicitate legit ut discat & in pietate proficiat, quàm à multis doctis, qui vel præjudicijs fascinati vel rationis magisterio & dominio indulgentes, Scripturas variè torquent & depravant.

4. Adeò-


XLI.


4. Adeone hi homines prudentiores DEO sunt, ut melius quam ipse videant quid nocere possit? Quae enim esset ratio, ob quam non idem periculum fuisset metuendum in Ecclesiis primitivis tum veteris tum novi testamenti, in quibus DEVS voluit primo verbum suum in lingua toti Ecclesiae ejus temporis nota scribi, & scripta Mosis, Prophetarum & Apostolorum vulgo habebantur & legebantur, ut & in Ecclesiis Patrum tempore, in quibus Graeca & Latina lingua, quibus sacra litera continebantur, tam indoctis quam doctis, tam discipulis quam doctis vulgaris erat & communis.

XLII.

Quare missis Pontificiorum ineptiis & quisquiliis memorabili illo Athanasij dicto concludimus: Ne dixeris Monachorum esse sacris Literis intendere animum, quin potius Christiani CVIVSVIS hominis id sane officium est, & ejus praecipue, qui hujus seculi rebus in versatur, & eo magis, quia & majore indigeat ope, ut qui mundi fluctibus agitetur: facit igitur in rem tuam quam maxime, ut sacram Scripturam tui & audiant & lectitent liberi.

FINIS.





94 A 7359

ULB Halle 3
002 625 679




Sb.

Rebis

W 17







DISPUTATIO THEOLOGICA VII. 31
De
SACRÆ SCRIPTURÆ
VERSIONIBVS VVLGATIS,

Quam Spiritu Sancto favente

SVB PRÆSIDIO

Reverendi, & clarissimi viri
Dn. LEONHARTI HUTTERI,
S. Theol. D. & Professoris in celebri Academiâ
V Vitebergensi Publici discutiendam
proponit

M. IOHANNES GEORGIUS GLOCKER,
Heilbrunnensis.

Ad diem 12. Aprilis horâ 6. matutinâ.



VVITEBERGÆ

Typis Cratonianis per Iohann. Gorman.

Anno M. DC. VI.